



Porrò ne superior tabula, eclipticæ scilicet, quæ eisdem affigenda erit tabulis, diuisiones forte & inscriptiones inferioris tabulæ, in remissori eius parte, circa Capricorni principium obtegere possit, abscindenda erunt acumina harum tabularum circa gradum 90, non minus quam duos aut tres latos digitos. Nam alias, ut dicum est, diuisiones & inscriptio[n]es ab illis contegerentur.

Tabulis mensalibus sic rite perfectis atq[ue] absolutis, solidabis eas ad dorsum eclipticæ prædictæ rectissimè, ita quod partes eminentiores earum ad eam partem eclipticæ ponantur, ubi Cancer signum ponitur, depresso[re] uero uersus Capricornum, & hoc quam decentissime fieri poterit. Quibus firmatis atq[ue] perfecte consolidatis, oportet demum etiam easdem mensales connectere & consolidare signiferi Aequinoctiali, ita quod diametri, tabulæ superioris scilicet eclipticæ, directe correspondant diametris inferioris tabulæ scilicet signiferi Aequinoctialis. Et quod centrum supra centrum iustissimè locetur, & Cancer superioris tabulæ signum, corresponeat Cancro inferioris quam decentissime, quod mediante Gnomone iustissimo subtilissime perficies.

D O G M A V.

Regulam longitudinum maiorem construere, tabulamq[ue] latitudinum syderum, eidem perpendiculariter annectere, ac in partes debitas secernere.

RIMVM, Regula longitudinum una cum pinnulis conficienda fuerit, quemadmodum in postica, siue in dorso Astrolabi fieri solutum est. Huic deinde regulæ apud lineam eius fiduciæ adiunge aliam quan-
dam tabulam, alioquin omnino, pedibus duntaxat exceptis, circularem;
quæ quidem cum eisdem pedibus supra eandem fiduciæ lineam, rite & perpendiculariter erigi possit: quæq[ue] in nullam ab eadem linea declinet partem, ut prorsus nul-
lum capiant impedimentum radij uel Solis uel syderum, per foramina pinnularum
penetrantes. Quod cum factum fuerit, describe in eadem Lamina uel Tabula, mediante gnomone iustissimo, uel alio ingenio, lineam perpendicularrem, quæ centro zo-
diaci,